

NOTTINGHAM-SHIRE.

Dincolniensis Comitatui ab Occasu confinis est qui multo minor, Comitatus Nottinghamiensis Saxonibus non-tengaham-rcyne, nobis Nottingham-shire, à Septentrione Eboracensi, ab Occasu Derbiensi, & alicubi Eboracensi, à

Meridie Leicestrensi terminatus. Partem Meridionalem, & Orientalem Trent flumen nobilissimum, influentesque rivuli foecundant: Occiduum partem faltus de Shirewood, longe se porri *The Sand*: gens totam occupat. Hanc, quod arenosa sit, illam, quod argillacea, *The Clay* vocant incolae, & in has duas partes regionem suam distribuerunt.

Trenta, Saxonice *Theonta* (quam *Triginta* Latina quidam minoris notæ antiquarii, ob affinitatem Gallici verbi, quo ille numerus designatur, appellarent) longe itinere emenso, ubi primum se in hunc agrum intulerit, & primum Steanford, ubi multa priscae vetustatis vestigia superesse, & Romanos nummos inveniri accepi, & deinde Clifton, quæ familiae antiquæ Cliftonorum & sedem & nomen dedit, præterfluxerit, Linum amniculum ab Occasu súcipit, qui exoriens juxta Newsted, id est, *Noyus locus*, ubi olim Monasteriolum posuit Rex Henricus Secundus, nunc vetustæ familiae Buronorum sunt ædes, qui à Radulpho de Buron primis Normannorum temporibus, hoc in agro, & Lancastrensi florentissimo sunt oriundi, fertur proxime *VVollaton*, ubi ædes prospectu lætissimo, & summo artificio saepe magnificas maximis impensis Fr. *Vvilloughby* Eques auratus inani opum ostentatione, nostra memoria extruxit. Deinde Lenton alluit, quondam cœnobio quod S. Trinitati posuit Guilielmus Peuerell filius Nothus Regis Guilielmi Conquistoris, nunc tantum nundinis frequentibus celebratum. Vbi altera in ripa ad ipsos sere *Lini*, & *Trenta* confluentes, declivi situ locum habet, quæ nomen Comitatui præbuit, urbs præcipua Nottingham, emolito verbo pro *Snottenga-ham*. Sic enim Saxones dixerunt à subterraneis speluncis, & meatibus quæ in receptacula, & habitationem excavavit antiquitas sub præruptis illis saxis in Australi parte qua *Linum* fluviolum despectat. Vnde Saxonum hoc *Snottenga-ham* interpretatur Aſterius Latini *Speluncarum domum*, & Britannice *Tui ogo bauc*, quod idem plane denotat. Vrbs est loci ingenio amœna, hinc ad flumina spatioſa procumbunt prata, illinc faciles consurgunt colles; omnibus etiam quæ ad vitam pertinent copiosa. Hinc *Shirewood* lignum in ignis alimentum (licet fossili carbone male olenti multi utantur) illinc pisces *Trenta* large suppeditat. Vnde barbarum usurpat versiculum:

*Limpida sylva focum, * Triginta dat mibi pīcēm.*

Amplitudine denique structuræ, tribus elegantibus templis, foro longe pulcherrimo, & munitissimo castro est sane speciosa. Castrum illud prærupta petra ad Occidentale urbis latus attollitur, quo loci arcem quondam fuisse credi-

tur, qua Dani freti Aetheredi, & Aelfredi obsi-

dionem pertulerunt, donec illi rebus infectis, obsidionem solverint, & vasa conclamarint. Cum enim Dani hanc occupassent, *Burhredus Merciorum Rex*, (ut author est Aſterius) & Mercii nuncios ad Aetheredum Occidentalium Saxonum Regem, & Aelfredum fratrem dirigunt suppliciter obsecrantes, ut illis auxiliarentur, quo possent contra præfatum pugnare exercitum. Quid & facile impetraverunt. Mam illi frates non sègnis promissione congregato ex omni parte immenso exercitu, Merciam adeunt, & usque ad Snottenga-ham bellum unanimiter quarentes perueniunt. Cumque Pagani tuitione arcis muniti bellum dare negarent, & Christiani frangere murum non suppeditabat, pace inter Mercios & Paganos facta, duo illi frates cum cohortibus domum reversi sunt. Postea vero Edwardus Senior villam Bridgesford è regione posuit, & mœnibus, quæ jam corruerunt, ipsam urbem inclusit; quorum tantum reliquias ad Occiduum partem vidimus. Paucisque interjectis annis Edwardi scilicet Confessoris tempore, ut est in Censuali illo Anglia libro, CLXXIII Burgenses numerabantur, & de duobus monetariis XL Solidi Regi solvabantur. Aqua etiam *Trenta*, & *Fossa*, & via Eboracum versus custodiebantur, ut si quis impediret transitum navium, emendare habuit per quatuor libras.

Castrum autem, quod nunc cernitur, & author, & operis magnitudo nobilitant. Guilielmus enim Normannus ad Anglos frænando extruxit; naturaque & manu ita munitum erat (autore Guilielmo Neubrigensi) ut sola inedia, si defensores idoneos habeat, expugnabile videatur. Posteaque Edwardus III magnis impensis instauravit, & splendidis ædificiis adornavit, quibus & manu Richardus Tertius admovit. Nec temporum inclinationibus communem magnis castris fortis subiit, nunquam expugnatum. Frustra semel obſessum ab Henrico Andegavensi, quo tempore ædificia adjuncta succenderunt præsidarii. Semel etiam ex improviso captum à Roberto Comite de Ferraria in bello Baronico, 1175. Reg. Ho- vidi, qui cives omnibus fortunis spoliavit. Castellani veden multa referunt de Davide Scotorum Rege in pag. 307. hoc captivo, & Rogero de Mortuomari, Marchiæ Comite per subterraneum meatum hic deprehensio, qui, quod fidem in patriam præ Scoticis nummis vilem habuerit, & alia sclera vasto animo designarit, postea suspendio periit. Certe in prima castri area per multos gradus descendimus lumine accenso in cryptam subterraneam, & concamerationes ex ipso saxo excisæ, in quarum parietibus scalpuntur historiæ passionis Christi, & alia, manu, ut ferunt, Davidis Secundi, Regis Scotorum, qui ibi in carcerem conditus. In superiori vero castri parte quæ sublimè in rupe surgit, per plures gradus in aliam etiam subterraneam cavernam devenimus, quam Mortimers hole vocant, quod in ea delituit Rogerus ille de Mortuomari, cum jam mali conscius sibi male metueret. Cæterum hæc urbs Polum Borealem LIII grad. sublimem aspicit, ab ultimo vero Occidente XXII partes, XIV scrup. numerat. Hinc

Lin fl.

Byron.
Wollaton.

Lenton.

Nottin-
gham.

* Trent.

Mortimers
hole.

Mortime-
ri latebra.